

sine ullo discrimine, & sine rectæ rationis usu instar furentis bestiæ, quasi clausis oculis in quævis pericula ruit; non attendens illud tritū: Quicquid agis, prudenter agas,  
 « Et respice finem. Quòd autem audaces fortuna juvare dicitur, admodum est contingens, nisi forsitan per audaces in illo loco velimus intelligere fortis & magnanimos. Audax igitur omnis temerarius est. Pugnavit Ajax, sed furore impulsus; pugnavit Catilina, sed ex ambitione. It autem non pœna, sed causa facit martyrem; ita non pugna, sed causa facit fortem. Goliathus audax erat, non fortis, quum ad monomachiam provocaret Iſraëlitas. Ideoque temeritatis pœnam luit, & contigit illi juxta versiculos:

Parva necat morsus spatiōsum viperataurum,

A cane non magno sape tenetur aper.

Bella Non  
Cessaria.

Et scitè est dictum: Etiam scarabæo sua vis est adversus aquilam. Ad hoc vitium pertinent ii, qui suscipiunt bella non necessaria, ut Josias, aliâs rex pius, audax erat, quum Necho regi Ægypti adversus regem Assyriorum expeditionem ducenti sese opponeret, 2. Reg. 23. v. 29. & 2. Chron. cap. 35. v. 20. Audacissimus erat Absolon insurgens contra patrem Davidem, 2. Sam. 15. Pericles, ut est apud Thucyd. lib. 1. ex odio Megarensiū Athenienses ad bellum Peloponnesiacum instigabat. Temerarius erat Xerxes rex Persarum, sine causa exercitum ingentem ducens contra Græcos; & Crœsus arma suscipiens contra Cyrus, Cyrus contra Tomyrin. Quapropter Xerxes vix in cymba evasit, qui dicebatur terror mundi. Crœsus amissâ regiâ majestate fit consiliarius Cyri. Cyrus capite truncatur à Tomyri reginâ Scytharum, seu Massagatarum, quæ abscissum Cyri caput conjecit in saccum sanguine plenum, additis his verbis: Satiare sanguine, qui sanguinem sit iuisti. Si Cyrus paruisse Crœso, expeditionem illam in Scythiam dissuadenti, eò quòd sua παθήσει ipsi esse debeant μαθήσει, forsitan in malum illud non incidisset. Nec enim frustrà dictum est à Pinaro: "Εα πόλεμον χωρίς Θεόν, id est, Mitte bellum sine Deo. Audaciae vitio etiam tenentur, qui Græcis dicuntur πρώτοι νόμοι.